

cessitate euenient; quare & simpliciter omnia quæ eueniunt, de necessitate eueniunt. Nec 20. à difficultate problematis se euoluit. Negat enim actum esse aliquid, vt non cogatur concedere ipsum esse prouisum à Deo, uoluntatum, siue factum, vt sic in actibus liberis necessitatem effugiat, quam alias, vt æstimat, effugere non ualere. Omnia igitur entia præsentia & futura, quæ non sunt nec erunt actus, sicut opinio innuit, & opinans expresse concedit, sunt & erunt prouisa à Deo, uoluntate, atque facta: quare secundum eum, de necessitate euenient, & nullus actus est aliquid; quare non continetur, nec distribuitur sub nominibus talibus eos uel aliquid, nec falsat hanc uersalem, Omnia quæ eueniunt, de necessitate eueniunt. Hæc igitur uersalis est uera simpliciter, quia pro eius quolibet singulari. Item Deus uult omne agens, uel acturum agere quicquid agit uel ager, sicut 22. primi, & coroll. eius cum 30. eiusdem alijq; sequentibus manifestat, & maxime opera meritoria; sicut patet per 42. & 45. primi. Ipsa enim cum sunt, sunt Deo placita & accepta, & non notiter, sed & æternè, sicut 23. primi monitæ, quare per rationem positionis præsentiam, necesse est omne actum agere quicquid ager, & maxime opera uirtuosa. Itè nulla causa secunda potest mouere uel agere sine Deo proprie commouere & similiter coagere, sicut 4. primi & 2. ostendunt, & hoc uolendo, sicut 9. primi ostendit, reuertitur igitur difficultas: Quod etiam 27. nequaquam à proposito difficultate se liberat, potest sicut contra proximam, perspicue demonstrari. Restant autem & alie duæ opinionum culæ similes: quarum 1. & 28. cum prioribus æstimat, quod res futuræ præscitæ sunt præscientiæ Dei causa: Secunda uero & 29. putat, quod res futuræ præscitæ sunt causa sine qua non diuinæ præscientiæ. Sed hæc ambæ falsam supponunt, nec per hoc difficultatem euadunt. Falsam supponunt, teste 15. & 16. primi lib. Nec difficultatem excludunt; Voluntas namq; diuina & eius scientia respectu præsentium & præteritorum est necessaria, sicut & necesse est hæc esse & fuisse, & non necessitate nouella ex præsentia aut præteritione rerum, aut alia causa quacumq; temporaliter oriente propter 6. part. & 7. coroll. 1. 1. & 23. cap. 1. lib. Fuit ergo uoluntas Dei & eius scientia similiter necessaria ab æterno respectu omnium futurorum; quare & per 10. 1. lib. omnia futura erant æternaliter aliquo modo necessario euentura. Est & 30. opinio, quæ affirmat, quod Deus scit & præscit res secundum modum illarum, necessaria necessario, & contingenti contingenter. Nec ista opinio difficultatem euitat. Si enim Deus sciat res secundum modum illarum, aut Deus sumit modum sciendi à posterioribus rebus scitis, aut ille potius modum essendi à Deo sciente & eius scientia, ac modo ipsius. Primum dici non potest propter primam suppositionem, 3. part. & 5. coroll. 1. 1. & 15. & 16. 1. lib. Potius ergo uidetur e contra, quod omnis res futura scita à Deo sumat modum sciendi & scibilitatis à Deo, à uoluntate diuina & eius scientia, sicut 14. primi libri & sequentia persuadent. Cum etiam omnis species modus & ordo sit à Deo secundum præmissa 26. primi, & cum Deus non imponat rebus modum nisi uolendo, & uoluntas sua est uersaliter efficax, & nullo modo frustrabile per 10. lib. uidetur quod omnes res de necessitate sint illo modo, quo Deus uoluerit ipsas esse præsentis, D præteritis, uel futuris, præsertim cum diuina uoluntas non sit in potestate alicuius causæ inferioris, nec etiam aliquarum, sicut 8. huius ostendit. Adhuc autem si Deus sciat futura contingenti contingenter, quomodo sciet illa necessario quando sient præsentia, in præteritum uel decurrent, sicut & illa necessario erunt tunc talia? Aut si tunc necessario sciet illa, quomodo non necessario præscit illa, dum sunt futura, cum ipse & sua scientia immutabiles sint omnino per 5. & 23. primi libri? Amplius autem, & de uoluntate diuina simile est omnino, sicut contra opiniones proximas tangebatur. Adhuc autem & 31. opinio arbitratur, quod nemo potest rimari aut scire istud tam abstrusum nature miraculum, & tam absconditum Dei arcanum: & hæc uidetur Academicorum generalis sententia perantiqua, quam & Iohann. Sarisb. 2. Policratici sui 22. in ista materia profiteri uidetur; ad quam & Cicero, sicut dicit in calce uite sue, diuertit. Sed constat certissime quod decet, expedit, & oportet Philosophos, Theologos, & cuiuscumq; fidei professores aliquid sufficientius, rationabilius, aut probabilius querentibus, insulstantibus, & aduersantibus licet mature & sobriè respondere. Quare & Logici, Philosophi, Physiologi, Ethici, & Diuini, Theologi Catholici & Ethnici circa ciuidationem axiomata huius tam anxii anxie desudabunt: Vade & Ammonius Armenus in Record. in lib. peri hermenias. Arist. super vlt. tractans istam materiam scribit ita; Hoc theorema ad omnes partes Philosophiæ est necessarium; secundum moralem Philosophiam omnino necesse est præaccipere, quod Non omnia sunt & sunt ex necessitate, sed sunt quædam in nobis. Quoniam enim ut Domini operationum quarundam existentes, & in nobis existens eligere, uel non eligere quædam, & operari uel non; has autem uirtuperabiles electionum & operationum dicimus, has autem laudabiles. Quinimo & ad Physiologiam opportunè uidetur theorema: quæret enim Physiologus, Si omnia ex necessitate sunt quæ sunt, aut aliqua à fortuna & à casu; & ad Logicam methodum

ostendit & stabilitatis

Opinio 31.

Sarisburiens.

Ammonius.

A methodum eodem modo. Hoc enim ipsum est quod nunc queritur, si omnis contradictio determinate diuidit uerum & falsum. Porro actum autem theorema & ad primam Philosophiam inuenies. Queret enim & Theologus secundum quem modum gubernatur res quæ in mundo, & si omnia euenientia & ex necessitate sunt quemadmodum in perpetuis, aut sunt aliqua contingenter euenientia. Et nec omnino idiotice dispositiois homines inuenies negligentes meditationem de hoc theoremate. Amplius autem & 32. opinio, nondum quod scierim ab aliquo opinata, sed forsitan opinanda, quæ & me, ut uerum fatear, aliquando tentauit, ex dicendis fortassis probabiliter oritura, præsumet aliter, quod in omnibus rebus futuris, præsentibus, atq; præteritis, respectu scientiæ & uoluntatis diuinæ, est semper contingenti ad uirtutem, libet, & libertas; & nulla omnino necessitas. Sed ista opinio difficultati problematis nequaquam placeant satisfacit, & etiam falsum supponit. Non plenariè satisfaciunt: Difficultas namq; problematis ideo maxime uidetur multos uirgere, quia in suis actibus liberis nulli necessitati superiori & priori uellent esse subiecti, sed simpliciter Domini, & liberi penitus absolute respectu suorum actuum liberorum, habere quoq; eos in sua simpliciter libera potestate. Sed ista opinio responsiua non tribuit istud eis. Licet enim actus liber humanus futurus possit contingenter & liberè non esse futurus, & e contra per potentiam uoluntatis diuinæ, hoc tamen non est simpliciter, si sufficienter, & antecedenter in potestate humana, cum uoluntas humana in suis actionibus & non actionibus uersalis diuinam præcedentem necessariò subsequatur, nec uoluntas diuina consistat in potestate uoluntatis humanæ, sicut præhabita manifestant. Adhuc autem & omnia quæ sunt, fiunt, & eueniunt, etiam in actibus & non actibus hominum, sunt, fiunt, & eueniunt de aliqua necessitate ipsa naturaliter præcedente, sicut coroll. secundi huius ostendit. Amplius autem & falsum supponit. Cum enim dicit, quod in rebus futuris, præsentibus, atq; præteritis respectu scientiæ & uoluntatis diuinæ, nulli est omnino necessitas; uel intelligit, quod stante scientia & uoluntate diuina respectu alicuius futuri, præsentis, uel præteriti, potest illud non esse tale, id est, quod illa irrepugnanter stant simul Deus scit & uult hoc fore, esse, uel fuisse, & hoc non erit, est, aut fuit; aut intelligit quod scientia & uoluntas diuina, quæ sunt causæ futurorum, præsentium, & præteritorum, sit semper in se libera, & contingens ad esse pro tunc & non esse, nunquam necessaria ullo modo ad essendum pro tunc pro mensura quacumq; & sic consequenter ista causata ratione harum causarum. Primum dici non potest: constat enim esse impossibile simpliciter & contradictione includere, Deus scit falsum, & uoluntas Dei frustratur, per 10. 1. lib. Nec secundum ueraciter dici potest, quoniam secundum omnes Philosophos, & Theologicos tem nunc præsentialiter existentē necesse est aliquo modo necessitatis nunc esse, & tem præteritam præfuisse, sicut secundo huius aliquid tangebatur. Quis enim Theologicus affirmare præsumserit, quod nullo modo est necessitatum, modum fuisse creatum, Christum fuisse incarnatum de uirgine, natum & passum, hominē redemisse, resurrexisse, ascendisse, ad dextram Patris sedisse atq; sedere? Præsertim cum etiā de futuris, ipsomet teste, necesse fuerit & si implerent omnia quæ scripra sunt in lege Moysi, Prophetis, & Psalmis de eo: & cum per 2. & 14. 1. lib. Nulla res posterior habeat esse aut fuisse, nisi per uolutionē diuinā; Ipsa est aliquo modo necessaria respectu præsentium & præteritorum. Necessario namq; consequitur. Hoc nunc est aut fuit, ergo Deo nunc uult illud esse aut fuisse; & antecedens est aliquo modo necessaria, quare & consequens. In omni namq; consequentiæ formali simpliciter, & necessaria absolute, si antecedens est necessitatum simpliciter aut aliquo certo modo, & consequens simili necessitate firmabitur, alioquin ex uero possit aliquoties sequi falsum: sicut ergo præsentia & præterita sunt aliquo modo necessaria talia, sic & uoluntas uolutione diuina respectu illorum; imo & magis necessaria quia sint illa; est enim causa necessitatis in eis. Adhuc autem & ista assertio uidetur contraria scietie Phil. i. peri hermenias uel ostendit eundem ad uirtutem reperiri tantum modo in futuris, non autem in præsentibus nec præteritis, sed necessitate contraria. Diceretur fortassis, quod hoc est uerum respectu inferiorum causarum, non autem respectu causæ superioris seu sumæ. Sed proculdubio subtilius inuēdo apparet oppositū euidēter, quod uiz. sicut est contingenti ad uirtutem in futuris respectu inferiorum causarum, sic & est in præsentibus atq; præteritis. Nulla enim causa inferiorē contingit quicquid facere uel non facere in futuro, nisi Deo prius illud uolente uel nolente, sicut 30. & 32. 2. ostendunt, & simili modo contingit quacumq; causa inferiorē actiua facere quippiam uel non facere in præsentibus, & fecisse uel non fecisse in præteritis quodcumq; possibile fieri, non fieri uel ab ea. Si n. Deo uelit quacumq; causam actiuam facere, uel non facere quodlibet in præsentibus, fecisse uel non fecisse in præteritis, de necessitate est ita per 10. 1. lib. & Deus potest contingenter sic uelle & nolle, possibilitate & contingentiā necessitate omnimodā excludente, sicut opinio 47. assertit fuerat. Sicut ergo contingit ad uirtutem libertatis legere uel non legere, sic & heri legisse uel non legisse: contingit enim ad uirtutem libertatis Deum sic uelle uel nolle: & sicut contingit ad uirtutem libertatis edificare uel non, generare uel non pro futuro; sic edificasse uel non, generasse

omnino

causa

assertit

vel non pro præterito: contingit enim ad vtrumlibet Deum sic velle vel nolle; contingit ergo ad vtrumlibet Solomonem esse virginem in præterito, & nonquamquam genuisse; nec templum fecisse, Iohannem quoque Euangelistam non esse virginem in præterito, sed filios genuisse, & templum Solomonis fecisse cum alijs similibus infinitis. Quapropter & habet dicere consequenter quod veritas determinata non magis reperitur in propositionibus de præterito aut de præterito, quam in propositionibus de futuro in materia de contingenti & qualitate; sed similiter hic & ibi, contra Philosophum ubi prius, & contra multos Philosophicos tractatores. Adhuc autem & ista opinio auferi beatitatis totius beatitudinis, beatissimam portionem, certitudinem scilicet æternaliter sic essendi, dicente Augustino, 13. de Trinit. 7. ubi de beatitudinis rebus agit; Et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit. Imo secundum istam sententiam nec beati fuit certū de beatitudine sua præterita, nec præteriti; nec etiam aliquis hominum haberet certitudinem, certam scientiam, quare nec scientiam de aliquo; quia nec de aliquo futuro, præterito, & rediret opinio Academicorum olim à Philosophis & Theologis condemnata, nec aliquis esset, aut esse posset certus se esse aut fuisse, aliquid agere aut egisse contra Aristotelem, Augustinum, & contra omnes Philosophicos, Theologicos, & vulgares Academicorum hæresi non infectos; quapropter nec aliquis rure posset testificari de aliquo præterito, nec iurare, contra omnia iura mundi diuina patris & humana. Posset enim Deus contingentiissime facere de quocunque futuro, præterito, & præteriti citra seipsum, ipsū nuquam fore, fuisse, aut esse. Secundū istā quoque sententiā expedire orare Deū pro malis culpe & pœnæ præteritis, vt faciat illa nunquā fuisse, imo & tantū expedire videtur orare pro malis præteritis, ne fuissent, quantū pro malis possibilibus aut futuris, nisi Deus succurrat, ne fiant. Sed quis sic orat? Quæ Ecclesia? Quæ persona? Cur Pater noster cœlestis? Cur mater nostra Ecclesia? Cur spiritus veritatis, qui omnem docuit veritatem, nunquam docuit filios sic orare? Amplius autem creatura rationalis, angelica & humana, quæ tota est mutabilis secundum naturam in essentia & in actibus, quando habet aliquem actū etiam mutabilissimum, & liberrimum secundum contradictionem, necessarium est ei pro tunc quod habeat illum actum, & ille actus suus habet pro tunc quandam necessitatem essendi, necessitatem videlicet consequentem; quare & multo magis, vt videtur, quilibet actus Dei, cum ipse sit summe necesse est, immutabilis, stabilis atque firmus, sicut prima suppositio manifestat.

CAP. XXVI.

Tractat opinionem tricesimam tertiam famosiorē cæteris, quæ affirmat quod aliquid semper fuit futurum, & adhuc est futurum; non est tamen necessarium villo modo illud nunquam fuisse, aut nunc esse futurum; & quod aliquid nunquam fuit futurum, nec nunc est futurum, & possibile possibilitate omni necessitati opposita est illud semper fuisse, & nunc esse futurum, & de præscientia Dei correspondenter omnino. De omni tamen præterito vel præteriti dicit, quod necesse est illud fuisse, & quod necesse est Deum semper præsciuisse illud fuisse futurum, vel scire illud, esse nunc præsens, quod etiam necesse est Deum scire illud esse præteritum ac fuisse; & corripit eum super insufficientia responsionis, eo quod non sufficienter difficultatem euacuat.



Ræter has autem est & tricesima tertia opinio, quæ affirmat quod aliquid semper fuit futurum, & adhuc est futurum, non est tamen necessarium villo modo illud nunquam fuisse, aut nunc esse futurum; & quod aliquid nunquam fuit futurum, nec nunc est futurum, & possibile possibilitate omni necessitati opposita est illud semper fuisse; & nunc esse futurum; & de præscientia Dei correspondenter omnino. De omni tamen præterito vel præteriti dicit, quod necesse est illud fuisse vel esse, & quod necesse est Deum semper præsciuisse illud fuisse futurum, vel sci-

A re illud esse nunc præsens, quod etiam necesse est Deum scire illud esse præteritum ac fuisse. Et hæc est communior & famosior apud moderniores Philosophos, atque Theologos, & præcipue apud Nostrates, & quasi sola ab eis concorditer approbata. Quorum ante omnia flexis genibus cordis mei impio humiliter benignam patientiam charitatis (quæ sua non querit in iudicium veritatis, nec irritatur si quis eam dicitur, sed congraudeat elucidata à quolibet veritati, & sustinetur vniuersa) quatenus si non ego, sed in me & per me spiritus veritatis aliquam veritatem præferre dignetur huic opinioni forsitan repugnantem, nullatenus amulentur, nullatenus irriteantur, nullatenus indignentur, ne fortassis non mihi, sed spiritui sancto magis resistere conuincantur. Nam quicquid verum à quocunque dicitur, à sancto spiritu dicitur, sicut vicissim secundi à beato Ambrosio recitauit, sed vt veri filij charitatis congraudeant, credant, & sustineant veritatem. Non enim est medio are periculum in scientia veritatis nosse deferere pristinam licet agoram falsitatem, sola superbia prohibente. Vnde Apostolus 2. ad Thessal. 2. Charitatem veritatis non receperunt, vt saluarent, & ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & vendicant omnes qui non crediderunt veritati, sed confenserunt iniquitati. Nos autem non ita, sed secundum eiusdem Apostoli salubre consilium deponentes secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renouamur spiritu mentis nostræ, & induamus nouam hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, propter quod deponentes mendacium, loquamur per omnia veritatem, cantando cum Propheta, Aperite portas, & ingredietur gens iusta custodiens veritatem: vetus error abiit & recessit; credo tamen veraciter me nihil noui penitus asseritur, quod non veterum ratio & autoritas confirmabit. Placeat igitur huius opinionis rationabili charitati non obaudire, sed exaudire benignè aliquas rationes. Primo autem videtur quod responsio huius opinionis nequaquam sufficiat; secundo, quod eius hypothesis non subsistat: data namque opinionis hypothesis, non sufficienter soluitur difficultas. Difficultas etenim questionis propter hoc maxime mordet omnes & stimulat, quia in suis actibus liberis, nulli necessitati superiori & priori vellent esse subiecti, sed simpliciter Domini, & liberi penitus absolute respectu suorum actuum liberorum, habereque eos in sua simpliciter liberi potestate. Sed ista responsio non vitat omnimodam necessitatem, nec saluat omnimodam libertatem: Licet enim illud quod est futurum posset non esse futurum, & e contra, & illud quod est præteritum à Deo, posset esse non præteritum, & e contra; hoc tamen non est antecedenter & sufficienter in potestate nostra, nec omnium causarum inferiorum, sicut septimum, octauum, & nonum huius ostendunt. Causa enim superior, puta Deus, non sequitur questionis modo, sciendo aut volendo causas inferiores aliquas nec omnes, sicut decimum quintum; & vicissim primi cum suis sequentibus, ac vicissim secundi ostendunt; sed e contra ipse omnes, & singulæ in omnibus suis moribus ac cessationibus vniuersis voluntatem ipsius necessariò consequuntur, sicut tricesimum & tricesimum secundum secundum, ac secundum tertij cum decimo primi docent. Cum igitur per corollarium noni primi omnia futura euenient à voluntate diuina, quæ est causa prima & summa, per tricesimum secundi, & nullo modo frustrabilis, sed efficax omniuaque per decimum primi, nec antecedenter aut sufficienter in potestate nostra, nec causarum inferiorum aliquarum aut omnium, per octauum & nonum huius, Nullum futurum est simpliciter, scilicet sufficienter & antecedenter in nostra positum potestate, nec habemus respectu alicuius futuri omnimodam simpliciter libertatem, sed in omnibus necessariò subdimur, & ferimus necessitati naturaliter præcedenti, diuinæ scilicet voluntati, sicut quintum & sextum cum sequentibus huius docent.

CAP. XXVII.

Respondet secundum sententiam Philosophorum & Theologorum, quod omnia futura euenient de quadam necessitate respectu causarum superiorum, non contraria, sed consentanea libertati:



VT autem super isto, prius quam recedam, propriam sententiam proferam, imò non mei propriam, sed Patrum nostrorum communem, supposita distinctione de necessitate antecedente & consequente, secundo huius præmissa; Dico quòd duplex est necessitas antecedens: una penitus absoluta, & alia quodammodo respectiua; & hæc duplex, scilicet respectu aliquarum vel omnium inferiorum siue secundarum causarum, aut tantum respectu superiorum & primarum causarum, scilicet summæ & primæ causæ omnium, qui Deus est. Iste autem modus loquendi de causis superioribus & inferioribus potest haberi ab Augustino 6. super Genes. ad litteram 22. ubi dicit, quòd Ezechias secundum causas inferiores honorat vitam suam termino ab Esaiâ prædicto, secundum alias verò causas, scilicet superiores, quæ, ut dicit, sunt in voluntate & præscientia Dei, tunc erat finiturus vitam quando eam finivit. Lombardus autem 2. sentent. dist. 17. de superioribus & inferioribus causis loquens, dicit superiores causas esse voluntatem & potentiam Dei; Glossa verò super Esaiâ 38. ubi agit de prædictione mortis, & adiectionis annorum vitæ Ezechie, innuit eandem distinctionem, sub verbis tamen diuersis, dicens, quòd Deus duobus modis aliquas res considerat, scilicet secundum merita & naturam rei, quæ dicuntur causæ inferiores, & secundum suum consilium. Consilium ergo Dei secundum eam, est causâ superior, vel causas superiores complectens; causæ verò inferiores, meritum & natura. Idem modus etiam loquendi quantum ad alteram eius partem, scilicet de causis primis, seu causâ primâ & secundis satis ex Philosophia cognoscitur, ubi Deus vocatur ærebitimè causâ primâ; ergo in comparatione ad posteriores & secundas, quod & satis exprimitur in propositione prima de causis. Secundum hanc ergo distinctionem videtur mihi dicendum, quòd non omnia quæ euenient, euenient de necessitate penitus absoluta, sicut duodecimum huius probat, nec etiam respectiua, respectu scilicet aliquarum aut omnium inferiorum siue secundarum causarum, sicut 5. 8. & 9. huius ostendunt; sed omnia quæ euenient, euenient de necessitate respectiua, respectu scilicet superiorum siue primarum causarum, quæ sunt voluntas & potentia summi Dei. Non est autem intelligendum, quòd causæ inferiores omnes vel aliquæ, puta rationales, quantum est de se, possent agere liberè hoc vel illud; & quòd causâ superior Deus ipse purè necessariò agat ad extra, & sic illas necessitet ad agendum, quoniam contradictionem includeret, quòd aliqua causâ inferior quicquam ageret sine primâ specialiter & proprie cogente, imò & naturaliter præagente, sicut vicesimum, vicesimum octauum, & tricesimum secundum probauerunt; actus quoque voluntatis diuinæ ad extra nulli necessitati præcedenti subijcitur, sed est solus simpliciter contingens ad vtrumlibet, & liber simpliciter libertate contradictionis, sicut docuit quatuor huius. Sed intelligendum hoc modo, quòd omnia quæ euenient, euenient de necessitate causarum superiorum, id est, omnia quæ euenient, euenient causaliter de potentia & voluntate Dei superioribus & prioribus naturaliter in causando alijs quibuscunque, nec est simpliciter & antecedenter in potestate alicuius aut aliquarum causarum inferiorum ne omnia illa eueniant: vel breuius isto modo, Omnia quæ euenient, euenient de necessitate causæ primæ, necessitate scilicet agentis siue actiuitatis, seu efficacis in agendo; id est, omnia illa eueniant de voluntate diuina, quæ respectu omnium volutorum est non impedibilis, nec à quouis auertibilis, quia in nullius alterius potestate, & ideo necessaria & inuitabilis in causando, imò & ipsamet necessitas antecedens: hoc enim totum capitulum proximum manifestat; nec piger eius manifestationem breuiter recitare: Voluntas quippe Dei est causâ superior & prior naturaliter; quare quodcumque futurum euenit, per decimum quartum & corollarium noni primi, cum tricesimo secundo, & non frustrabilis, sed necessaria in causando per decimum primi, nec simpliciter in potestate inferioris aut inferiorum causarum per octauum huius. Quomodo namque Deum præuelle quodcumque

Augustinus

Lombardus
Glossa

A quodcumque futurum est positum antecedenter, sufficienter & simpliciter in cuiuscunque alterius potestate. Imò per nonum huius nihil omnino est in nostra simpliciter libera potestate. Porro si aliquod futurum non euenire esset in nostra potestate, hoc esset resistendo voluntati diuinæ, vel eam impediendo aut mutando, vel faciendo eam non sic præuelle, quod est contra capitula proxima allegata: causâ enim superior naturaliter atque prior non sequitur in causando inferiorem & posteriorem causam, sicut nec artifex instrumentum. Omnis quoque res inferior in actione & passione sua quæcumque necessitatur quodammodo antecedenter naturaliter à voluntate diuina: ipsa enim est omnibus necessitas naturaliter antecedens, sicut secundum huius cum suo corollario manifestat. Quomodo igitur omnia quæ sunt, fiunt, & eueniunt in præsentia, fiunt, fiunt, & eueniunt de quadam necessitate hæc omnia naturaliter præcedente in voluntate diuina; sic & quæ erunt, fient, & euenient in futuro. Possunt autem hæc omnia in vnam syllogisticam rationem breuiter sic reduci; Omnia quæ euenient de necessitate naturaliter præcedente, de aliqua necessitate euenient: Omnia quæ euenient, euenient de necessitate naturaliter præcedente, quia à voluntate diuina, quæ omnibus suis volutis est necessitas naturaliter antecedens; ergo omnia quæ euenient, de aliqua necessitate euenient. Vel breuius isto modo; Omnia quæ de ista necessitate euenient, de aliqua necessitate euenient, demonstrata voluntate diuina: Omnia quæ euenient, de ista necessitate euenient; ergo omnia quæ euenient, de aliqua necessitate euenient. Sed quia nimia breuitas obsecratis & dubietatis est mater, ecce ad hoc idem paululum diffusior & clarior syllogismus: Omnia quæ euenient à causa, quæ posita, necessariò sequitur quòd euenient, & cuius positio non est nec erit antecedenter in alterius potestate secundum contradictionem; euenient de necessitate respectu illius causæ, ita quòd non est, nec erit antecedenter in alterius potestate secundum contradictionem quin euenient; Omnia quæ euenient, euenient à causa huiusmodi. Adhuc autem expressius isto modo; Omnia quæ euenient à voluntate diuina hoc modo, quòd illa posita, necessariò sequitur quòd euenient, & quòd illa ponatur, non est nec erit antecedenter in alterius potestate libera secundum contradictionem, euenient de necessitate respectu voluntatis diuine, ita quòd non est, nec erit antecedenter in alterius potestate libera secundum contradictionem quin euenient: Omnia quæ euenient, euenient à voluntate diuina hoc modo prædicto. Minor potest ostendi per definitionem necessitatis naturaliter præcedentis, & sui effectus secundo huius præmissa; isto verò notorio coassumto, quòd effectus futurus causæ quæ est necessaria in causando, & necessitas antecedens ad intellectum definitionis prædictæ non potest aliter esse antecedenter in alterius potestate libera secundum contradictionem, nisi quantum ad positionem vel non positionem causæ, sicut illuminatio futura huius diaphani ab hac lucerna, est in mea libera potestate, quia possum liberè amouere, vel non amouere, extinguere vel non extinguere hanc lucernam. Aliter enim, scilicet quòd stante tali causa sit in alterius potestate secundum contradictionem, effectum euenire vel non, implicat contradictoria manifestè. Implicat etenim, quòd aliqua causa sit necessitas naturaliter antecedens ad intellectum definitionis secundo huius præmissa, & quòd eadem ad eundem intellectum non sit necessitas naturaliter antecedens. Nam si huiusmodi causa stante, sit in alterius contradictoria potestate, suum effectum nullatenus euenire, ex ipsa plenè posita non necessariò nec indefectibiliter sequitur causam suam causari: ergo per definitionem prædictam illa causa non est necessitas naturaliter antecedens, quæ tamen secundum hypothesein ponitur necessitas naturaliter antecedens. Minorem verò demonstrat corollarium noni primi, cum decimo, & octauum istius. Amplius autem secundum præmissa: 5. & 23. secundum, voluntas diuina necessitat quodammodo quadam necessitate spontanea Angelos, hominesque beatos, & finaliter confirmatos ad beatificum actum suum æternaliter conseruandum, ad nunquam peccandum, & ad cetera quæ ad beatitudinem pertinent vniuersa; quæ & tam efficax est & firma respectu omnium aliorum, sicut præhabita docuerunt, quia inhærit virtutis simpliciter omni quæque. Verum ne in re tanta tantillus quicquam videat minus sobriè sapere, perperam agere, aut temerè affirmare, ecce maiorum meorum magna & conuenientia testimonia ad hoc ipsum. Dicit siquidem sapiens Ecclesiastici 42. Cognouit Dominus omnem scientiam, & inspicit in signum æui, annuntians quæ præterierunt & quæ superuentura sunt, reuelans vestigia occultorum: non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo vllus sermo; Magnalia sapientie suæ decorauit, quæ est ante sæculum & vsque in sæculum, neque adiectum est, neque minuetur, & non eget alicuius consilio. Quam desiderabilia sunt omnia opera eius; & tanquam scintilla quæ est consideratè! Omnia hæc viuunt, & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obaudiunt ei. Vnde & Augustinus 6. super Gen. ad litteram 21. loquens de factione primi hominis de limo in ætate virili, sic ait; Manifestum

Ecclesiasti-
cus.

Augustinus.

nifestum est sic non factū esse hominem, contra quod erat in illa prima conditione. causarum A
 scilicet inferiorum, quia ibi erat etiam sic fieri posse; quamvis ibi non erat ira fieri necesse.
 Hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in beneplacito Creatoris, cuius voluntas re-
 rum est necessitas. Et cap. 22. Est quippe in natura huius iuuenis vt senescat, sed vtrum hoc
 sit etiam in Dei voluntate nescimus; sed nec in natura esset, nisi in Dei voluntate prius fuisset,
 & vtrique occulta est ratio senectutis in corpore iuuenili: Neque enim oculis cernitur, sed alia
 quadam notitia colligitur: occulta ergo est ista ratio, qua fit vt hoc esse possit, sed oculis, iuuenti
 autem non est occulta; vtrum autem hoc etiam necesse sit omni modo nescimus, & illam verò
 qua fit vt esse possit, in natura ipsius corporis nouimus; illam verò, qua fit, vt necesse sit, mani-
 festum est illud non esse; sed fortassis in mundo est vt necesse sit istum senescere: si autem nec
 in mundo est, in Deo est; hoc enim necessarium futurum est quod ipse vult, & ea verè futura sunt
 quæ ille præsciuit. Nam multa secundum inferiores causas futura sunt, sed si ita fut in præ-
 scientia Dei, verè futura sunt: si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, vbi B
 qui præscit, falli non potest. Nam futura dicitur iuuentus in senectute; sed tamen futura non
 est, si ante moriturus est: hoc autem ita erit, sicut se habent aliz cause suæ in mundo contex-
 ta, sive in Dei præscientia reseruat; Nam secundum quasdam futurorum causas mortuus
 erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam; id vtrique faciens, quod ante con-
 stitutionem mundi se facturum esse præsciebat, & in sua voluntate seruabat; Nec illi additi re-
 tē dicerentur, nisi ad aliquid adderentur, quod se aliter in alijs causis habuerat; secundum
 aliquas igitur causas inferiores iam vitam finierat; secundum illas autem quæ sunt in volunta-
 te & præscientia Dei, qui ex æternitate nouerat quid illo tempore facturus erat, & hoc verè
 futurum erat, tunc erat finiturus vitam quando finiuit vitam; quia est oranti concessio est,
 etiam sic cum oraturum, vt tali oratione concedi oporteret, ille vtrique præsciebat, cuius præ-
 scientia falli non poterat: & ideo quod præsciebat, necessarium futurum erat. Lumbardus
 etiam 2. sentent. distict. 18. allegat Augustinum dicentem, vt mulierem fieri de costa viri C
 necesse foret, non in rebus conditum, sed in Deo absconditum erat, & potest sententialiter
 elici ex 9. super Gen. ad literam 28. Item Ambrosius super illud ad Rom. 9. vt secundum e-
 lectionem propositum Dei maneret, &c. In illo, inquit, quem elegit, propositum Dei ma-
 net, quia aliud non potest euenire quam sciuit & proposuit in illo, vt salute dignus sit; & in
 illo quem spernit, simili modo manet propositum quod proposuit de illo, quia indignus erit.
 Idem super illud 1. Cor. 7. Quid enim scis mulier, si virum saluum facias? &c. Hoc, inquit,
 dicit quia forte possunt credere, sicut vnicuique diuinit Dominus, diuinit Dominus vnicuique
 quando saluauerit, hoc est, scit quando potest credere, & sustinet illum. Item B. Cypr. episc. 3.
 inuitata De lapsis, sic ait; Cum corona martyrii de Dei dignatione descendat, nec possit
 accipi nisi fuerit hora famendi, quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem denegat,
 sed tempus expectat. Item 1. Eisd. 5. Oculus Dei eorum factus est super senes Iudæo- D
 rum, & non poterunt inhibere eos. Hanc etiam necessitatem secundum causas superio-
 res prædictam tamen non faciendo, quam etiam faciendo, beatus Iob diuersis locis euiden-
 ter ostendit. Quinto namque capitulo loquens de Deo, sic ait, Qui dissipat cogitationes
 malignorum, ne possint implere manus eorum quod ceperant. Et infra 14. Breues dies
 hominis sunt, Numerus mensium eius apud te est: & vt ostendat quomodo sit apud eum,
 quia per modum necessitatis prædictæ, subiungit Constituit terminos eius, qui præteriti non
 poterunt. Et inferius 23. Nemo auertere potest cogitationes eius; & Anima eius, quodcumque
 voluit, hoc facit. Super primum autem istorum B. Greg. 6. Moral. 12. ita dicit, Superæ voluntati
 cogitare debet nostra actio deuote famulari, & quasi ducem sui itineris persequi, ne ei entia
 nolens seruiat, si hanc superbiens declinat: vitari enim vis superbi consilij nequaquam potest.
 Cui & satis concordat illud Tob. 3. Non est in hominis potestate consilium tuum; & illud Esa. 14.
 Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & illud Ierem. 47. demucrone Do-
 mini non potente quiescere, cū Dominus præcepit ei motū vindictæ, sicut 32. primi plenius E
 allegatur. Et illud supra eiusdem 10. Scio, Domine, quod non est hominis via eius, nec viri est
 vrambuire & dirigat gressus suos: Glossa, Erubescant qui aiunt vnumquemque suo regi
 arbitrio: Non est enim hominis via eius: Vnde David, A Domino gressus hominis dirigitur:
 & Parab. 20. A Domino diriguntur gressus viri: Glossa, Non libertate arbitrij. Nec
 potest quis exponere ista de bonis vijs seu gressibus bonis tantum, sicut 32. primi ostendit.
 Super secundam verò autoritatem Iobi præmissam B. Gregorius 12. Moral. 1. dicit, quod
 in profectu virtutum homo conatur bonum apprehendere, & non valet quia omnipotens
 Deus terminos constituit homini qui præteriri non poterunt, sicut 46. primi plenius allega-
 uit: qui & infra eiusdem 16. super illud Iob 15. Antequam dies eius impleantur, peribit,
 sic.

† senectus in iuuentute

Lumbardus

Ambrosius

Eisd.

Iob.

Gregorius

Tobias

Esaie

Ieremias

Glossa

David

Parab.

|| bona via

Gregorius

A scilicet Præfixi dies singulis ab interna Dei præscientia, nec augeri possunt nec minui, nisi
 contingat vtrā præficiantur, vt aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis
 breuiores; sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensione lachrymarum. Sed ne
 quis credat Gregorium affirmare, præordinationem seu præscientiam Dei à futuris operibus
 dependere, audiat cum supra eiusdem 1. de eodem Ezechia dicentem, per Prophetam Do-
 minus dixit quod tempore mori ipse merebatur, per largitatem verò misericordiz illo eum
 tempore ad mortem distulit, quod ante secula ipse præsciuit. Nec Propitius igitur fallax,
 quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur; nec *dominica* statuta conuulsa
 sunt, quia vt ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante secula præsumum fuit,
 atque spatium vitæ quod inopinatè foris est additum, sine augmento præscientie fut innotuit
 statutum. Idem quoque 16. Moral. 4. super illud Iob 22. Qui sublati sunt ante tempus suum,
 sic ait; Omnipotens Deus illud tempus vniuscuiusque ad mortem præscit, quò eius vita ter-
 minatur, nec in alio tempore quicquam mori potuit nisi ipso quò moriturus. Nam si Ezechie
 anni auditi ad vitam quindecim memorantur, tempus quidem vitæ creuit ab illo termino
 quo mori ipse merebatur. Nam diuina dispositio eius tempus tunc præsciuit, quo hunc post-
 modum ex præfati vita subtraxit. Cum ergo ita sit, quid est quod dicitur, quia iniqui sublati
 ante tempus suum, nisi quòd omnes qui præsentem vitam diligunt longiora sibi eiusdem vita
 spacia promittunt? Sed cum eos mors superueniens à præfati vita subtrahit, eorum vita
 spacia, quæ sibi longiora quasi in cogitatione tendere consueuerant, intercidit. Idem adhuc
 infra eiusdem 15. super illud Iob 23. superius allegatum, Nemo auertere potest cogitatio-
 nes eius, sic ait; De cuius mox immutabilitate aptè subiungitur, Et nemo auertere potest cogitatio-
 nes eius; sicut enim immutabilis natura est; ita immutabilis cogitatio; & cogitatio-
 nem quippe eius nullus auerteret, quia nemo resisteret occultis eius iudicijs prauales. Nam et si
 fuerunt quidam, qui deprecationibus suis eius cogitationem auertere viderentur, ita fuit eius
 interna cogitatio, vt sententiam illius auertere deprecando potuissent, ac ab ipso acceperunt
 quod agerent apud ipsum. Dicat ergo, & nemo auertere potest cogitationem eius, quia se-
 mel fixa iudicia mutari nequaquam possunt: vnde scriptum est, Præceptum posuit, & non
 præteribit; & rursum, Cælam & terra transibunt; verba autem mea non transibunt; & rur-
 sum, Non enim cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ, neque via meæ sicut via vestræ,
 Cum ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur, quia de vna-
 quaque se immutabiliter inuis constituitur, quicquid foris mutabiliter agitur. Nec debet
 quinquam mouere quod dicit, Diuinam sententiam deprecationibus posse aueri: hoc enim
 satis exponitur 25. primi; & quia hic dicit quòd Dei cogitatio, iudicia, & consilium mutari
 non possunt, sicut & supra eiusdem 4. super autoritatem Iob 22. præmissam dicit, Deum ple-
 rūque mutare sententiam, consilium autem nunquam. Hanc etiam sententiam planissimè
 restatur eiusdem autoritas 27. Moral. 22. quam 30. secundi plenius allegauit. Istam quoque
 necessitatem futurorum secundum causas superiores, non secundum causas inferiores offen-
 dit Anselmus De concordia, sub alijs tamen verbis. Ostendit enim futura vno modo euenire
 ex necessitate; & alio modo ex libertate; quia scilicet respectu voluntatis diuine necessitate
 euenire, respectu verò voluntatis creatæ nequaquam; & in auctoritate Dei, & in auctoritate
 sunt immutabiliter constituta, sed apud creaturam; & in tempore mutabiliter: vnde cap. 2.
 Sicut, inquit, necesse est esse quicquid Deus vult, ita esse necesse est quod vult homo in his que
 Deus ita subdit humane voluntati, vt si vult, fiat; si non vult, non fiat. Quoniam enim
 quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogitatio prohiberi
 necessitate ad volendum vel nolendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est
 voluntatem esse liberam & esse quod vult. Et infra, Opus voluntatis cui datum est, vt quod
 vult sit; & quòd non vult non sit, voluntarium sive spontaneum est, quoniam spontanea vo-
 luntate sit; & bifariam est necessarium quia voluntate cogitur fieri, & quòd sit non potest si-
 mul non fieri. Qui & infra 3. ita dicit, Nihil prohibet aliquid fieri vel præfati à Deo in nostris
 voluntatibus & actionibus fieri aut futurum esse per liberum arbitrium, vt quamvis necesse
 sit esse quòd fieri vel præfati, multa tamen sint nulla necessitate, sicut inuicta, sed libera vo-
 luntate; nempe quid mirum si hoc modo aliquid est, ex libertate sicut respectu nostri, & ex
 necessitate, sicut respectu diuine præscientie sive scientie, cum sint que recipiunt opposita
 diuersa ratione, scilicet idem est adire & abire respectu diuersorum locorum? Et sequitur,
 Si deo præfati quòd de nomine dicit Iob Deo, Constituit terminos eius qui præteriri non
 poterunt, vult aliquis ostendere, quia nullus potuit accelerare vel differre diem in qua mori-
 tar, quamuis aliquando nobis videtur aliquid facere ex libera voluntate vnde moritur, non
 est quòd obijcatur contra hoc quòd supra diximus. Nam quoniam Deus non fallitur, nec e-
 det

diuina

Anselmus

Anselmus
velutio-
nibus.

det nisi veritatem, siue ex libertate, siue ex necessitate eueniat, dicitur constituisse apud se
 A immutabiliter, quod apud hominem priusquam fiat, mutari potest. Tale etiam est quod
 Paulus Apost. de his qui secundum propositum vocati sunt Sancti, dicit, Quos presciuit,
 & predestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus:
 Quos autem predestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, & quos iu-
 B stificauit, illos & magnificauit. Hoc quippe propositum secundum quod vocati sunt San-
 cti in eternitate, in qua non est preteritum vel futurum, sed tantum presens, immutabile
 est; sed in ipsis hominibus ex libertate arbitrij aliquando est mutabile. Sicut enim quamuis
 in eternitate non fuit aliquid, aut erit aliquid, sed tantum est, & tamen in tempore fuit,
 & erit aliquid sine repugnantia; ita quod in eternitate mutari nequit, in tempore aliquan-
 do per liberam voluntatem antequam sit esse mutabile probatur absque inconuenientia. Vt
 autem ostenderet idem Apostolus, non illa verba se pro temporali significatione posuisse, il-
 la etiam que futura sunt preteriti verbo pronuntiauit: Nondum enim quos presciuit
 C adhuc natiuros, sic iam temporaliter vocauit, iustificauit, [magnificauit]. Vnde cog-
 nosci potest eum propter indigentiam verbi signantis eternam presentiam vsum esse verbo
 preteriti significationis; quoniam que tempore preterita sunt, ad similitudinem eterni
 presentis omnia immutabilia sunt; in hoc siquidem magis similia sunt eterno presentem tem-
 poraliter preterita quam presentia, quoniam que ibi sunt, scilicet in eternitate, nunquam
 possunt non esse presentia, sicut temporis preterita non valent vnquam non esse preterita;
 presentia vero tempore, omnia que transeunt, sunt non presentia. Et capit. 4. subiungit,
 Hoc ergo modo, quecquid de his que libero sunt arbitrio velu necessarium sacra Scriptura
 pronuntiat, secundum eternitatem loquitur, in qua presens est omne verum, & non nisi
 verum immutabiliter non secundum tempus, in quo non semper sunt actiones & voluntates
 nostræ; cum autem res tam aliter cognoscatur esse in tempore quam in eternitate, vt aliquan-
 do verum sit, quoniam aliquid non est in tempore quod est in eternitate, & quia fuit in tem-
 pore quod ibi non fuit, & erit temporaliter quod non ibi erit; Nulla ratione negari videtur
 posse similiter aliquid esse in tempore mutabile, quod ibi est immutabile; quippe non magis
 D opposita sunt, mutabile in tempore & immutabile in eternitate, quam non esse in aliquo
 tempore, & esse semper in eternitate, & fuisse, vel futurum esse secundum tempus, atque
 non fuisse, aut non futurum esse in eternitate; sic vique sine vlla repugnantia dicitur ali-
 quid esse mutabile in tempore antequam sit quod in eternitate manet immutabiliter non an-
 tequam sit vel postquam est, sed indefinenter, quia nihil est ibi secundum tempus. Annon
 & istam sententiam multi preclari Prophetæ confirmant, sicut docet clarissime series ve-
 teris testamenti? Annon & Sibylla prophetans de Christo, & de multis eum con-
 cerantibus, dicitur, O Iudæi, necesse est ista fieri, sicut trigesima secunda pars co-
 rollarij primi, primi plenius recitauit: Decem siquidem leguntur Sibyllæ Gentiles omnes
 prophetisæ præclaræ: Hæc autem Sibylla Græcè cognominata fuit Tiburtica, Latine
 E Ebulæa; quam tamen Augustinus 18. de Ciuit. Dei 23. & 24. Erithream, siue secundum
 quosdam Cumzæm cognominat: cuius & sub isto cognomine meminisse videtur Virgilius in
 Bacolicis, ecloga quarta sic dicens, Vltima Cumzæi venit iam carminis ætas; carminis Cu-
 mæi, id est, carminis Sibyllæ Cumanzæ secundum Seruium in commento: & sequitur confe-
 quenter, Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo, iam redit & Virgo redeunt Saturnia reg-
 na, iam noua progenies cælo dimittitur alto, &c. que omnia ad Christum satis possunt ap-
 tari, sicut & facit Hieronymus in epistola proœmiali Bibliæ prælibata. Hanc dicit Augusti-
 nus 18. de Ciuit. Dei 23. & 24. tempore Achæ seu Ezechie Regis Iudæ & Romuli ac Romæ
 conditæ, siue vt nonnulli scripserunt, tempore belli Troianæ fuisse. Cuius etiam aliquas pro-
 phetias de Christo, prout in libro eius scribuntur, Lactantius in libro suo institutionum di-
 uinarum aduersus Gentes allegat; quod & Augustinus 18. de Ciuit. Dei dignè com-
 memorat. Huius quoque Sibyllæ versuum trigesima tertia parte corollarij primi, primi
 scriptorum sacrosancta Ecclesia meminit in quadam sequenda de Natali sic canens, Si non
 suis vatibus credat, vel gentibus Sibyllinis versibus hæc prædicta. Hæc idcirco cumulatius
 pronunt, ne huius Sibyllæ sapientis autoritas contemnenda forsitan putaretur. Dicit ergo
 hæc Sibylla prophetans multa de Christo, necesse est ista fieri. Annon & istam sententiam
 implemet Dominus prophetarum, ac Autor ipse fidei fideliter autorisat, cum dicit,
 Necesse est impleri omnia, que scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, & Psalmis de me. Luc.
 24. Quare & similitudine necesse est impleri omnia, que in libro vite in mente, & in volunta-
 te diuina sunt scripta, & ibi omnia futura eternaliter & immutabiliter, distinctissime & ceruis-
 sime sunt conscripta, sicut præhabita docuerunt. Amplius autem nisi talis necessitas suppo-
 natur,

Sibyllæ

Lactantius

Lucas

A nator, possibile est totam sanctam Dei Ecclesiam ruere, cadere, deficere, & perire, totam Pe-
 tri nauiculam pati naufragium, & submergi, totam fidem Christi ante consummationem sæ-
 culi, etiam cras vel hodie deficere & cessare, quinimo & quoad omnes eius articulos de futuro
 esse & tempore fuisse erroneam, falsam, fatuam, & fallacem; & Christum fuisse Pseudo-Pro-
 phetam, seductorem, mendacem & falsum, sanctos quoque Christi Apostolos, Martyres,
 [Confessores] olim in hac fide fideliter transeuntes non esse, nec vnquam fuisse saluatos, sed
 semper damnatos, aut fidem hanc suscipere ad salutem, quod quis Christi discipulus, qui
 potius Antichristi, quis sanctæ matris Ecclesiæ filius, quin potius tyragogus Satanae,
 quis Catholicus, quin potius hereticus præsumserit affirmare, cum sit tam absouum, tam
 absurdum, tam horribile, tam execrabile auribus Christianis? Quis insuper Christianus ne-
 sciat Christum esse lapidem angularem, & fundamentum Ecclesiæ militantis? Et quale fun-
 damentum debile, labile, & infirmum, abijt hoc ab animo Christiani vel leuiter somnare.
 B Nonne ideo Christus comparat Christianam fidem adificanti domum suam supra petram,
 quam nulla tempestas subruit, aut euerit? Cuius causam assignat, quia adificata erat supra
 petram, sicut Matth. 7. recitatur: super quod Chrysothomus, Ecclesiæ, inquit, adificata
 C Christo dirui non potest. Vnde & Augustinus de verb. Dom. serm. 13. Hoc ei nomen vt Pe-
 trus appellaretur à Domino impositum est, & hoc in ea figura, vt significaret Ecclesiam: qua
 enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est; ideo Pe-
 trus à petra, non petra à Petro; quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christi-
 anus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, adificabo
 Ecclesiam meam: Super me adificabo te, non me super te. Diferentiam quid de Deo, quid
 de nostro; tunc enim non turbabimur, tunc in petra fundabimur, fixi & stabiles erimus aduer-
 sus ventos, imbres, & flumina, tentationes videlicet presentis sæculi. Illum tamen videre
 Petrum, qui tunc erat figura nostra, modò fudit, modò turbat, modò immortalem confiteretur,
 D modò timet ne moriatur: proinde quia Ecclesia Christi habet firmos, habet & infirmos, nec
 sine firmis esse potest nec sine infirmis. Quare & Apostolus, Fundamentum, inquit, aliud
 nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus, i. ad Cor. 3. & iterum,
 Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, Notus Deus qui sunt eius; nouit, in-
 quam, Dominus qui sunt eius, cognoscendo & uolendo, adificando & hoc in-
 fallibiliter, insuperabiliter, & immutabiliter, & ideo firmum fundamentum Dei stat. Et quam
 firmum: firmius proculdubio quocunq; alio fundamento debili, labili, corruptibili, temporali,
 terrestri vel cælesti, sicut præmissa testantur: quare & gloria; Firmum fundamentum Dei
 stat, i. illi quos Deus elegit, & immobilitate in fide fundauit. Nonne & hoc est, quod Prophe-
 ta figurate prædixit, Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabit in sæculum
 sæculi, Psalmo 103. & iterum, Adificauit sicut vnicornis sanctificum suum in terra quam
 fundauit in fræcula, Psal. 77. & iterum, Firmavit orbem terræ qui non commouebitur Psal. 92.
 E Huius autem totius causam assignans Psal. 118. sic ait, In æternum, Domine, verbum tuum
 permanet in cælo, in generatione & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet,
 ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Beatus siquidem Augustinus quoque
 super hæc loca per terram intelligit Ecclesiam, que adhuc peregrinatur in terras qui & super il-
 lud Psal. 103. recitatur item. 1. Terram, inquit, intelligo Ecclesiam: que est firmitas eius, super
 quam fundata est nisi fundamentum eius? An incongruè intelligimus firmitatem, super quam
 fundata est terra, fundamentum vbi constituta est Ecclesia? Quod est illud fundamentum?
 Fundamentum, inquit, nemo potest ponere, præterquam quod positum est, quod est Christus
 Iesus: Ibi ergo firmati sumus merito, quia ibi firmati non inclinamur in sæculum sæculi. Ni-
 hil enim firmius isto fundamento. Infirmitas tu eras, sed firmum fundamentum: te porat: in
 te firmus esse non poteris; firmus eris semper, si ab illo firmo fundamento non recedas, non
 inclinabitur in sæculum sæculi: Ipsa est prædestinata columna & firmamentum veritatis. Infra
 F sermo Fundasti terram super firmitatem eius, i. firmavit Ecclesiam super fundamentum Chri-
 stum. Nutabit Ecclesia, si nutauerit fundamentum. Et vnde mutabit Christus? Qui antequam
 veniret ad nos & carnem susciperet, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,
 qui omnia continet maiestate, & nos bonitate. Non nutante Christo non inclinabitur in sæ-
 culum sæculi; vbi sunt qui dicunt perisse de mundo Ecclesiam; quando nec inclinari potest?
 Vbi & Cassiod. Mystice, inquit, accipit potest quod Ecclesia super ipsum fundata inclinari non
 potest? Nonne & hoc est quod ipsemet Christus insinuat, ita dicens, Omnes me vocem meam
 audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt
 in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, qui dedit mihi maiore om-
 nibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnus sumus, Ioh. 10. Nonne
 Ioannes,

Cassiodorus

& hoc est quod docet Apostolus ad Rom. 8. eam dicit, Quis separabit nos a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio &c. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Propter eum, inquit, non propter nos ipsos. Et sequitur, Certus sum enim qui nec mors neque vita &c. poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. Et 2. ad Tim. 2. Fidelis sermo: nam si commortui sumus, & contuemus; si sustinemus, & coregnabimus; illi, qui fidelis permanet, regare seipsum non potest. Num etiam Christi promissio potest esse fallax, fallax & mendax, qua dixit; Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi Math. ult. Num & illa oratio Christi magna ad patrem, qua ipsum rogavit pro suis ut ipsos servaret, & illa qua rogavit pro Petro ne deficeret fides sua, & illa positio qua electos discipulos posuit ut tunc & fructus afferrent, & fructus eorum maneret Ioh. 17. Luc. 22 & Ioh. 15. recitata, potest esse irrita, vacua, & inanis? Absit hoc velle cogitare, quia tunc Christus non potest esse & fuisse non Christus, videlicet non verus Christus, sed pseudo-Christus & falsus aut nullus. Nonne & verus Christus veraciter dixit, Surgent pseudo-Christi, & pseudo-Prophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi sicut Math. 24. claret? Ecce vera consequentia veri Christi: si fieri potest, electi in errorem ducuntur: quare & secundum veram Logicam disciplinam, ex opposito consequentis oppositum antecedentis vere inferunt: Consequitur ergo verum, Nulli electi in errorem ducuntur, sicut innuit ibi Christus; ergo hoc fieri nunquam potest, Christo electore ipsorum ipsos in superabiliter conservante. Quare & beatus Greg. 1. super Ezech. homilia 9. tractans Christi consequentiam recessit, Vniui, inquit, ex duobus est, quia si electi sunt, fieri non potest; si autem fieri potest, electi non sunt: qui & 14. Moral. 3. super illud Iob. 18. In diebus eius stupebant novissimi, & primos inuadet horror, tractans consequentiam Christi dictam, sic ait, Et si electi sunt ut tormentis vniui nequeant, per hoc tamen quod homines sunt, & ipsa metuunt tormenta quae vident: & 33. Moral. 31. super illud Iob. 4. 1. De naribus eius procedit fumus, consequentiam illam tractans, sic ait, Si fieri potest subiungitur, quia proculdubio fieri non potest, ut in errorem plene electi capiuntur. Cui & concordat Augustinus, De fide ad Petrum 67. Firmissime tene & nullatenus dubites omnes, quos vasa misericordiae eius gratuita bonitate Deus fecit ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei praedestinatos a Deo, nec perire posse aliquem eorum quos Deus praedestinavit ad regnum, nec quemquam eorum quos Deus non praedestinavit ad vitam vlla posse ratione saluari. Idem de correptione & gratia 21. Illi, inquit, electi, qui secundum propositum vocati sunt, qui etiam praedestinati atque praesciti, horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quisquam generaliter perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia a nulla re vincitur Deus. Idem & 26. Quid commolitur eis contra verba dicentis, Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri defecit fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisse, quasi aliud Petrus vltimo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset ut vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, & permissuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia praeparatur voluntas a Domino, ideo pro illo Christi non potest esse inanis oratio; quando rogavit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, & perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis: voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuam & insuperabilem fortitudinem. Idem 34. quicumque in Dei providentissima dispositione praesciti, praedestinati, vocati, iustificati sunt & glorificati, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, iam filii Dei sunt, & ideo omnino petire non possunt. Idem 35. Petrus secundum propositum vocatus erat, ut nemo eum E posset eripere de manu Christi cui datus erat. Idem 53. Christo discipulos sic ponente ut eant & fructum afferant & fructus eorum maneat, Quis audeat dicere, forsitan non manebit? Sine peccatis enim sunt dona Dei & vocatio; sed vocatio eorum, qui secundum propositum vocati sunt? Adhuc autem & idem de verbis Domini sermone 14. tractans illud Matth. 14. quomodo Christo orante in monte navicula in mari fluctibus iactabatur, sic ait, Dum ille orat in excelsis, navicula turbatur fluctibus in profundo. Quia insurgunt fluctus, potest ista navicula turbari; sed quia Christus orat, non potest mergi. Naviculam quippe istam, fratres, Ecclesiam cogitate; turbulentum mare hoc saeculum. Amplius autem per 28. primi, omnia sicut fato a divino famine nuncupato: fatum autem necessitatem importat, ut patet per omnes de ipso loquentes, & per auctoritates ibi adductas, Dicit; Boetius super 1. petri hermenias vlt.

iporuit

Gregorius

Augustinus

Quinta

A Omnia quae fatalis agit ratio, sine dubio ex necessitate contingunt: quod & vult Ammonius super eundem locum, sicut 10. huius fuerat allegatum: Iosephus etiam 7. de Iudaico bello 8. Homines, inquit, fatum vitare non possunt, etiam si praeviderint. Unde & Poeta, *Define fata Deum sceleri sperare precando.* Hoc idem plane testatur auctoritates Augustini 5. de Civit. Dei 9. & Isidori 2. Etbic. 45. exponentes illud Psalmi 61. Semel loquutus est Deus, id est, immobiliter, hoc est, incommutabiliter loquutus est, sicut novit incommutabiliter omnia quae futura sunt, & quae facturus est, sicut 28. primi plenius recitavit. Idem de spiritu & litera 29. Scriptum est, inquit, Semel loquutus est Deus, hoc est, incommutabiliter, quanquam & de vniico verbo possit intelligi. Boetius quoque 4. de consolatione Philosophiae prosa 6. sic ait; Haec fati series seu providentia, actus fortunaeque hominum indissolubili causarum connexionem constringit; quae causa cum ab immobilis providentiae proficiantur exordiis, ipsas causas quoque immutabiliter esse necesse est. Ita enim res optime geruntur, si manens in divina mente simpliciter indeclinabilem causarum ordinem promittit: hic vero res mutabiles propria incommutabilitate coercet. Et infra, Deus malum omne de republica suae terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat. Amplius autem & Hermes pater Philosophorum de verbo aeterno 43. Asclepio quarenti de heimarmene ita respondet, O Asclepi, ea est necessitas omnium quae geruntur semper sibi caenatis nexibus iuncta: hoc itaque est aut effectrix rerum aut Deus summus, aut sub ipso Deo qui secundus effectus est Deus, aut omnium coelestium terrenarumque rerum firmata divinis legibus disciplina. Hoc itaque modo heimarmene, & necessitas ambe sibi invicem in diuino conexae sunt glutino; quatum prior, heimarmene, rerum omnium initia parit, necessitas vero cogit ad effectum quae ex illis primordiis pendunt: has ordo consequitur, id est, textus, & dispositio temporis & rerum perficiendarum. Nihil enim est sine ordinis compositione, vel in omnibus mundus ordine gestatur, vel totus constat ex ordine. Haec ergo tria, heimarmene, necessitas, ordo, vel maxime nutu Dei sunt effecta, quae mundum gubernant sua lege, & ratione divina: ab his ergo omne velle aut nolle divinitus aduertum est totum. Haec ita non commouentur, nec fiuntur gratia, sed seruiunt necessitati rationis aeternae; quae aeternitas inauersibilis, immobilis, & insolubilis est. Prima ergo heimarmene est, quae iacto velut femine futuro iudicium omnium sufficit prolem; sequitur necessitas, quae ad effectum incoguntur omnia; tertius ordo textum seruans omnium rerum, quas heimarmene necessitasque disponunt. Qui & De mundo & caelo 1. agens de prima causa, ratione, & mente diuina, sic ait; Cuncta regit & componit: illic iunguntur in specie in indiuiduali singularitate conscripta, quicquid hyle, quicquid mundus, quicquid mundi machina, quicquid tempus, quicquid in temporalibus parturitur elementa: illic textus operis fatalis series, saeculorum dispositio, temporalium omnium meta summi digito dispositoris exarata, illic nodus perpetuitatis. Quem & eius filius Aristoteles imitatus in De mundo vlt. ostendens quare Deus, cum sit vnus, est multinominis, declaratque multis eius nominibus cum suis causis, sicut tertium primi allegat, assignat causam horum quatuor nominum diuinorum, Necessitas, Heimarmene, Nemesis, Adrahtia. Sciendum namque secundum Damascenum in sententijs suis 39. quod apud Graecos 6. famosa principia ponebantur, scilicet Deus, necessitas, heimarmene, quod secundum eum interpretatur fortuna, natura, euentus, & casus. Dicit igitur Philosophus vbi prius, Recur autem & necessitatem nihil aliud dici, nisi hoc, quasi insuperabilem substantiam; heimarmenen vero, eo quod copulat & disiungit; Nemesis a distributione vniuique facta; Adrahtiam vero inuitabilem causam entem. Vbi & consequenter exponens tria statuta fatalia, scilicet Atropos praeteriti, Lachesis futuri, & Clotho praesentis, sic ait; Perficitur autem fabula non inordinate; sunt autem haec omnia nihil aliud nisi Deus, quemadmodum & strenuus ait Plato. Fatum ergo seu famen diuinum, quo omnia fando disponit, secundum Augustinum, Isidorum, Hermetem, Aristotelem, & Platonem, aliosque Auctores, immutabilitatem, incommutabilitatem, indissolubilitatem, indeclinabilitatem, necessitatem, & inuitabilitatem importat. Quod & Auctoris fidei fidelis sermo testatur: Caelum, inquit, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, seu transient, Matth. 24. Marc. 13. & Luc. 21. quod & Luc. 16. sic exponit: Facilius est caelum & terram praeterire, quam de lege vnica apicem cadere. Et Matth. 5. Amen dico vobis, donec transierit caelum & terra, tota vnus aut vnus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant: Unde & Ioh. 10. Non potest solui scriptura. Quibus & concordat illud Ierem. 31. Haec dicit Dominus, qui dat Solem in lumen diei, ordinem lunae & stellarum in lumen noctis, qui turbat mare, & sonant fluctus eius; si defecerint leges istae coram me, tunc & semen Israel deficiet, ut non sit coram me cunctis diebus. Glossa, quomodo rerum maxime coelestium astrorum non potest ordo

Ammonius Iosephus

Poeta Augustinus Isidorus

Augustinus

Boetius

Hermes Asclepius

Hermes

Damascenus

Philosophus